

Noto se vocat *Robertus Flud*, alias de *Fluctibus* in *Tract. Th. ad*
Fratr. Ros. Cruc. l. 1. de vita cap. 9. & Seleucianis negaremus,
 vel unquam creatum fuisse paradisum, aut cum *Origene 4. περὶ*
ἀρχῶν in meras resolveremur allegorias: id enim quid esset aliud,
 quam distorquere recta, obscurare clara, negare vera? firmo pede
 insistendum est historiæ creationis simplicissimè scriptæ; ita enim
 illa: *Et plantavit Deus hortum.* Sed ubi? *עֵדֶן* in *Eden.* Non equi-
 dem ignoramus, quàm hîc se torqueant Interpretes, nonnullis
 vocem *Eden* explicantibus ut appellativum, aliis ut proprium.
 Et illi quidem *עֵדֶן-גֶּן* reddunt per *hortum voluptatis*,
 quos sequitur & *Vulgatus*; quin &, ut nonnullis creditur, ipse *Jo-*
sephus, qui hortum in *Eden* reddit absolute per *παράδεισον*; Hic
 tamen quomodo ab errore liberari possit, optimè ostendit illustre
 seculi nostri ornamentum *Johannes Henricus Bœclerus dissert. A-*
cad. 9. p. 454. Hi verò per *Eden* regionem intelligunt, ut ita
 hortus iste à loco fuerit denominatus. Quæ sententia pulchrè
 subsistit. Non enim in textu dicitur *Hortum voluptatem*, sed *hor-*
tum in Eden, qui loquendi modus potius locum exprimit, quàm
 horti amœnitatem; ut ut vix dubitemus, nomen loco ab horto
 aut propter hortum factum, & hortum quidem à voluptate appel-
 latum, nomenque horti loco pariter accommodatum. Versus
 verò quam mundi plagam situs fuerit paradisus, sacer Textus
 haud obscure innuit, quando addit *דְּרָבָה* sed & hanc vocem
 multis modis reddunt Interpretes. Et quidem *Aquila* (referen-
 te *Hieronymo quest. in Genes.*) vertit ἀπὸ ἀρχῆς: *Symmachus ἐν*
πρώτης (Subaud. ἀρχῆς;) *Theodotion ἐν πρώτοις*, subaudi χρόνους,
 vel accipe neutraliter. Et *Vulgatus* illos secutus reddit: à principio.
 Unde non solum *Hieronymus*, sed & imperitiores nonnulli ansam
 dubitandi sumserunt, anne Deus paradisum ante jacta mundi fun-
 damenta produxerit, quod strenuè affirmat *Hieronymus*. Verum
 rectius sentientes, cum *LXX. Interpretibus κατὰ τὰς ἀναβολὰς*, aut
 cum *Josepho πρὸς τὴν ἀνατολήν*, ad Orientem, vel ab Oriente ver-
 tunt. Licet enim vox *דְּרָבָה* generalis sit, & quamlibet prioritatem
 & quodlibet primordium, seu temporis, seu rei, seu loci denotet,
 B. quia

B.

quia